De quibusdam locis syntaxis Latinae accuratius definiendis.

SCRIPSIT

J. Fisch,

Dr. phil.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Praefandi his annalibus scholasticis munere mihi demandato nullam ad hoc genus scribendi materiam aptiorem fore existimavi quam eam, quae ex media opera scholastica sumpta esset. Fuit autem mihi haec opera et in scholis habendis et in meditationibus domesticis eo semper intenta, ut rectam et usu comprobatam grammaticae cum discipulis tractandae viam et rationem explorarem mihique sequendam proponerem. Rectam autem solum eam ducebam viam et rationem, qua discipuli ad recte cogitandi et iudicandi consuetudinem instituerentur. Quibus in studiis praeclaram mihi adiutricem ducemque fuisse Meiringii grammaticam Latinam *), grato animo profiteor. Multos alios grammaticorum libros, quos consulere et ad comparationem adhibere non omisi, in constituendis explicandisque linguae legibus saepe ea uti ratione videbam, qua dubitari non posset quin discentium mentes magis obtunderentur ad recte iudicandum quam acuerentur. — His igitur ex studiis prodiit haec disputatiuncula, hoc modo, ut raptim componerem quaedam ad syntaxim pertinentia, quae paullatim in schedas rettuleram. Elimare et expolire, ut cupieram, disserendi et eloquendi formam per brevitatem temporis mihi concessi non licebat.

I.

De subiecto enuntiati.

Quid sit enuntiatum quamvis varie a viris doctis definitum sit, tamen in hoc uno omnes semper consenserunt, necessarias enuntiati partes esse subiectum et praedicatum, nec constare ullum enuntiatum sine subiecto posse. Atque nostra etiam aetate, quae in explorandis linguarum legibus mirificum progressum fecerit, ista de subiecti necessitate opinio ita regnare pergit in scholis et litteris, ut contra docere vix quisquam audeat. Ausus est solus, quantum scio, Meiringius: tectius in grammatica sua Latina § 414, apertius in commentatione

*) Lateinische Grammatik für die mittlern und obern Classen der Gymnasien. Vierte Auflage. Bonn bei Max Cohen & Sohn, 1869.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

anno 1864 annalibus gymnasii Durani praefixa. *) Cuius sententiam amplexus hac occasione oblata quaedam ad eam confirmandam et stabiliendam accommodata in medium afferre constitui.

Facile concedetur, verissimam enuntiati definitionem hanc esse: Enuntiatum est id, quo *plena sententia* (Gedanke) exprimitur. Ita necessarium est praedicatum; sententiam enim nemo exprimit, nisi qui enuntiat aliquid (etwas aussagt). Sed accedere aliquid, a quo fiat id, quod enuntiatur (haec est enim communis omnium definitio subiecti) minime necesse est ad perfectionem sententiae.

Atque ut ab eis verbis incipiam, quibus utimur ad exprimenda quae in rerum natura accidunt, neminem puto esse, qui neget, dictione es regnet sententiam maxime perspicuam et absolutam exprimi, quamquam subiectum neque in dicto inest neque mente ullo modo comprehenditur. An vocula es ullam aut personam aut rem, quae pluviam faciat, cogitationi subicit? Scilicet Germanicum illud es nihil valet nisi hoc, ut vim verbi expleat ad significandum id, quod est in concisa forma Latini et Graeci enuntiati pluit, ὕει. (cf. Meiringii quam memoravi commentatio pag. 15.) Quod Meiringius docet (l. c.), hac verborum impersonalium forma definita significari, fieri id, quod est in notione verbi (sive infinitivo), multis et luculentis exemplis confirmatur. In quo tamen animadvertendum est, illam notionem verbi (der Verbalbegriff) in enuntiandi genere periphrastico formam substantivi accipere et solum in oratione Germanica etiam infinitivum admitti posse, ita ut sit es regne—t=„regnen“ geschieht (findet statt), plu—it=fit pluvia. Eadem ratio est in sermone Graeco. Nam pro ὕει, βροντᾷ, ἀστράπτει non raro occurit: γίγνεται ὕδωρ (Thucyd 6. 70), γίγνονται βρονταὶ καὶ ἀστραπαί (Thucyd 6. 70., Xenoph. Anab. 4. 2. 2.), γίγνεται χιών (Xenoph. l. c. 4. 4. 8.), χάλαζα (Xenoph. Hell. 4. 5. 4). De quibus enuntiatis infra accuratius agemus.

Dicat quispiam, esse tamen inter ista hoc discriminis, quod γίγνεται ὕδωρ initium rei, ὕει rem continuatam significet. Respondeam, hoc discrimine quasi quodam secundario nihil mutari in eo, quod volo ostendere, esse in utroque loquendi genere vim impersonalem et ὕδωρ non subiectum esse, sed complementum verbi. Ceterum evanescit illud discrimen in verbis inchoativis, qualia sunt illucescit, vesperascit, alia. In magno igitur versantur errore et nugas proferunt, qui contendunt, in eiusmodi enuntiatis subiectum suppleri necesse esse. Ea est enim prima lex in verbis interpretandis, ut nisi summa urgente necessitate non confugiamus ad ellipses statuendas. Quam legem qui tollit, omne subducit interpretationi fundamentum. Neque audiendi sunt ei, qui in quibusdam Graecorum scriptorum locis Jovem vel Deum subiectum esse verbi ὕει existimaverunt. Qui speciosam videlicet caussam in eo reppererunt, quod non raro apud Homerum aliosque subiectum illud additum est (cf. Hom. Il. 12. 25. ἷε δ'ἄρα Ζεύς, Od. 14. 457, Herod. 2. 13 ὁ θεὸς ὕει). Alia collegit exempla Kruegerus in grammatica Graeca § 61. 3. 4. At talia, quorum similia etiam apud Latinos

*) Psychologische Erwägungen über das Verbum als Ausdruck des Erkennens und als ältestes Sprachelement.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poetas inveniuntur, quid aliud demonstrant nisi hoc: potuisse quaedam verba impersonalia etiam ad eam vim traduci, ut actionem personae alicuius significarent? Neque dubitandum esse puto, quin ea licentia ad Homerum auctorem referenda sit, quem, ut in multis rebus, alii secuti sint. Homerus autem quod Jovem pluentem facit, non mirabere, si reputaveris, eundem Jovis, summi et omnipotentis Dei, imaginem ita animo informasse, ut, quidquid in rerum natura fieret, ipsius voluntate efficeretur. Ita apud eundem poetam Juppiter in summo aethere sedens nubes ipse colligit ad tempestatem movendam (cf. Il. 4. 166), unde *νεφεληγερέτα* nominatur (Il. 1. 511). Juppiter fulmina prehendit manu et tonitrua movet, unde nominatur *στεροπηγερέτα* (Il. 16. 298), *τερπικέραυνος* (Il. 1. 419), *ἀστεροπητής* (Il. 12. 275), *ἀργικέραυνος* (Il. 19. 121), *ἐρίγδουπος* (Il. 5. 672), *ἐριβρεμέτης* (Il. 13. 624). Quin etiam phantasia Jovi id attribuit, quod rei ipsi proprium est, ita ut Juppiter ipse esset *κελαινεφής* (Il. 2. 412). Idem de his loquendi generibus sentit Matthiaeus. Dicit enim (Ausführliche Griech. Gramm. § 295. 1): „Dass die Griechen bei ihrer Sinnesart, nach welcher sie alle Naturerscheinungen auf die Gottheit zurückführten, ursprünglich *ὁ θεός* gedacht haben, ist nicht unwahrscheinlich; allein im gewöhnlichen Sprachgebrauche dachte man nach und nach sshwerlich mehr daran, wie dann auch Aristophanes die Vorstellung öfters verspottet, sondern gebrauchte *ὗει, νίφει βροντᾷ* ganz als Impersonalia, wie die Lateiner pluit, ningit ohne ein Subjekt und wir es regnet, es schneit sagen.“ Recte id quidem. At non vidit vir doctissimus, pugnantia se loqui, quippe qui paullo ante plane contraria dixerit. Legitur enim apud eum (§ 294): „Jeder, auch der einfachste Satz muss zwei Hauptbegriffe enthalten, nämlich den von einer Sache oder Person, von der in dem Satze etwas ausgesagt wird, Subjekt, und dasjenige, was von jener Person oder Sache gesagt wird, Prädikat.“ Buttmannus in grammatica Graeca (§ 129. 17) ambigue dicit: „*ὗει* es regnet, wobei man nicht immer *Ζεύς* als ausgelassen ansehen muss, wenngleich die Griechen auch oft sagen *ὁ Ζεύς* oder *ὁ θεὸς ὗει*.“ Dicit igitur vir doctissimus, non semper desiderari subiectum *Ζεύς*; quando desideretur, quando non desideretur, nihil curat neque omnino quicquam ad explicandum affert. — Nihil stabilitatis habere sententias eorum, qui hunc in modum illa loquendi genera explicant, nonne iam inde apparet, quod alia ad alia impersonaliter dicta supplenda esse nomina statuunt? Cum enim perspexerint, verbum *Ζεύς* non ad omnia apte referri posse, alia quaelibet arcessunt. Dicit enim Buttmannus (in grammat. Graeca § 129. 17.) ad vocem *συσκοτάζει* Xen. Cyr. 4. 5. 5. „sc. *ἡμέρα*“. Habet autem verbum eandem quam *ὗει* rationem: *συσκοτάζει* (contenebrascit) = es dunkelt = „dunkeln“ geschieht (findet statt) Dies, quod pro subiecto Buttmannus inculcavit, et spernitur uniuscuiusque sensu nativo neque omnino, si naturam enuntiati scruteris, ferri potest. Neque enim die *τὸ συσκοτάζειν* efficitur, sed aut solis occasu aut nubibus soli obductis aut rebus aliis; nec si passivam velis vim subicere, dies (*ἡμέρα*) *τὸ συσκοτάζειν* patitur, quoniam non ipse dies obscuratur, sed res, quas interdiu (*ἡμέρας οὔσης*) conspicimus. Habet enim dies significationem lucis et claritatis, quae opposita est obscuritati noctis. Si ingruunt tenebrae (noctis), dies non obscuratur, sed abigitur. Kruegerus in exqlicando verbo incertus haerere videtur. Nam in grammatica sua Graeca vir sagacissimus tanta cum ambiguitate hac

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de re loquitur, ut certum iudicium frustra quaeras. Is enim et ipse ad eorum sententiam se applicans, qui ad verba impersonalia illa θεός vel Ζεύς supplendum esse putant, dicit (l. c. § 61. 3. Anm. 4): „So ergänzte der Grieche θεός oder Ζεύς zu ὕει etc. Selbst συσκοτάζει ist wohl (!) hierher zu ziehen. Videre igitur licet, quam varie viri docti se torserint in exponendis his enuntiatis, neque tamen certi quicquam ac firmi afferunt.

Sed ea, quae disputavimus de enuntiatis subiecto carentibus, multo latius patent. Pertinent primum ad omnia enuntiata, quae huius generis sunt: nunc atrociter apud Coloniam Agrippinam pugnatur. In quo, quae est sagacitas, quae subiectum reperiat? Nimirum pugnatur est Germanice „kämpfen“ geschieht, findet statt, cui respondet periphrasis Latina fit pugna. Manet eadem ratio in atrociter pugnatur et fit atrox pugna. Iterum autem atque tertium monendum est, ne quis incidat in hunc errorem, ut in hoc loquendi genere „pugna“ subiectum esse putet de quo illud fit praedicetur. Sole enim clarius est, praedicari tantum aliquid, idque, quod praedicetur, contineri notione bimembri fieri pugnam, atque hanc ampliorem enuntiandi formam prorsus idem valere quod illam concisiorem pugnatur. Conferas porro illud apud Thucydidem (4. 52): τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἱσταμένου ἔσεισεν. ἔσεισεν impersonaliter positum est. Ad quem locum Kruegerus recte adnotat: „ἔσεισε = σεισμὸς ἐγένειτο“ (ein Erdbeben fand statt, ein Erderschüttern geschah); quamquam in grammatica (l. c.) rem non satis accurate explicat, ubi dicit: „Für unser es regnet etc. sagte man entsprechend dem ποιεῖ ὁ θεὸς ὕδωρ, ὑετόν (Ar. Wesp. vgl. Xen. Oek. 20. 11: ὕδωρ ὁ ἄνω θεὸς παρέχει) γίγνεται ὕδωρ etc.“ Putat igitur dictionem ὕδωρ γίγνεται ortam esse ex ποιεῖ (ὁ θεὸς) ὕδωρ, ita ut γίγνεται passivum verbi ποιεῖ sit. Quod autem Graeci interdum dixerunt, ὁ θεὸς ποεῖ ὕδωρ, vividae eorum phantasiae tribuendum esse, satis dilucide supra demonstravisse mihi videor, neque omnino statuendum est, inde dictionem γίγνεται ὕδωρ profectam esse, ita ut suppleri possit ὑπὸ θεοῦ. Ut in pugna fit verbum fit, sic in hoc enuntiato γίγνεται impersonaliter positum est, et quae est eius notio non absoluta, ea addito ὕδωρ ita expletur, ut dictione ὕδωρ γίγνεται una praedicatio efficiatur = ὕει. Atque quid supplendum esse putamus in hoc enuntiato: ὡς δὲ πρόσω τῆς νυκτὸς προελήλατο (Herod. 9. 44)? Si totius loci nexum inspicimus neque in sententia superiore quicquam invenimus, quod ut subiectum ad προελήλατο referri possit, neque id ex ipsis verbis elici potest, et tamen enuntiatum tam perspicuum est, ut planius quid dici possit non videam. Etiam his quattuor verbis una tantum praedicatio enuntiatur. Ut denique exempla e patrio sermone sumpta afferam, quid subiectum esse voles in hiis enuntiatis: Dem Gajus wird nicht geglaubt; dem Gajus ist verziehen worden? Vehementer timeo, ne, qui efficere velint, subiectum in his dictionibus latere, in dumeta correpant et ipsi se compungant suis acuminibus. Acquiescamus potius in eis, quae adsunt, neve anxie quaeramus, quae absunt et quae omnino non desiderantur. Nam quicquid alii in his ac similibus enuntiatis subiectum esse statuerunt, tantum abest, ut eo res explicetur, ut magis implicetur ac conturbetur. Sunt enim, qui incerti quiddam, nescio quid, subiectum ad impersonalia illa esse velint; alii pluens ipsum (das Regnende selbst) esse, qui efficiat, ut pluat, putant. Tanta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est confusio ac corruptio opinionum, ut ad ineptas res atque absurdas confugere cogantur, qui subiectum tam necessariam partem enuntiati esse statuunt, ut eo sublato tollatur ipsum enuntiatum. Denique ipsa dictio verba impersonalia sensum non habet, si in eis subiectum inest.

Hae sunt quas proferendas esse putavi rationes ad firmandum id, quod mihi persuasum est: ad vim et naturam enuntiati non ita pertinere subiectum, ut nunquam abesse possit. Quamquam libenter concedimus, consuetudinem loquendi eam esse, ut in longe maxima enuntiatorum parte aut persona aut res expressa sit, de qua id, quod in praedicato inest enuntietur. — Ex eis, quae de vi ac natura enuntiatorum exposuimus, apparere existimo, verissimum esse Meiringii praeceptum illud (gramm. lat. § 416): Das Prädikat des Satzes ist immer ein *Verbum* (Verbum finitum). Nam praedicatum aut purum verbum est, ut in Gaius currit, aut constat ex verbo sum vel aliis verbis, ad quae explenda nomen aliquod addi necesse est, qualia sunt fio, evado, similia; ut Gaius *est rex*, Gaius *est aegrotus*, Gaius *fit rex*. In hisce enuntiatis verba sum, fio etc. cum nomine addito unam tantum efficiunt notionem, in quo semper vis verbi inest. Cave igitur enuntiatum: Gaius est aegrotus ita per partes explanes, ut vocabulum Gaius subiectum esse statuas, aegrotus praedicatum, est copulam, quae vocatur. Quam inepte et perverse agant, qui ita rem explicant, videbis, si quaesiveris, quid sit praedicatum. Praedicato autem semper significari, aliquid fieri (vel esse) nemo est, qui neget. In enuntiato autem allato solo verbo aegrotus quid fieri vel esse exprimatur, non video (Gaius—aegrotus); duobus verbis aegro, tum esse coniunctis una notio verbi efficitur atque quod in ea notione inest tempore-finito de Gaio enuntiatur. (Gaius *est* aegrotus). Verbi notionem facile agnoscimus si pro aegrotus est substituimus, aegrotat. Gaius *aegrotat* (i. e. notio verbalis aegrotare ad Gaium adhibetur, de eo enuntiatur. Idem valet in lingua Graeca: *Γάϊος νοσεῖ*. In patrio sermone pro krank sein verbum („kranken") usitatum non est; conferri autem potest nostrum kränkeln (Gajus kränkelt). Item verbis illis nomine substantivo adiuncto una verbi notio efficitur. In enuntiato: Gaius est rex vocabulum rex praedicatum non esse liquet; nam de Gaio non rex enuntiatur, sed enuntiatum hanc habet rationem, ut notio verbalis regem esse ad eum adhibeatur i. e. de eo enuntietur. Ex verbis enim Gaius—rex sententiam ulla ex parte perspicuam quis est, qui elicere possit. In duobus verbis regem esse prorsus non seiungendis unam verbi notionem inesse apparet, quod pro eis facile substituitur verbum regnare et in lingua Graeca *βασιλεύειν*. Expellenda est igitur falsa opinio, quae penitus in multorum animis inhaeret: in eiusmodi enuntiatis verbum „est" esse copulam, h. e. voculam inanem et modo iuncturae caussa insertam! Atqui quod copulam esse volunt praecipuam quandam partem praedicati notionem verbalem continentis esse, satis me explicavisse puto. Quod de verbo sum idem de omnibus supra allatis verbis (fio etc.) statuendum est. Quorum notio, per se non plena atque absoluta, addito substantivo vel adiectivo expletur. Nam in enuntiato: Darius Persarum rex factus est, praedicatum factus est ut perfectum atque absolutum efficiatur, postulat alteram aut substantivi aut adiectivi notionem, qua qui actus sit Darius significetur, et verbum factus est una cum adiuncto substantivo praedicatum ita complectitur, ut de Dario regem factum esse enuntietur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II.

De coniunctivo qualitatis.

Qui discipulorum gymnasii et scribendi et dicendi in lingua Latina exercitationes aliquamdiu moderatus est, eum non fugit, vix eos in ulla parte magis haerere, quam in recte adhibendo pronomine relativo, quod cum coniunctivo coniunctum qualitatis significationem habet. Qui ubicunque in scriptoribus coniunctivus additus est pronomini, etiam si longe diversam is rationem tenet, quaerenti, quae huius coniunctivi caussa sit, statim respondere solent, qualitatem significari. Atque in eandem temeritatem facile incidunt in scribendo. Colligit ex hoc prudens praeceptor quam diligentissima institutione grammatica id genus coniunctivi illustrandum et quam clarissimam eius imaginem in discipulorum animis eliciendam esse. Via autem et ratio haec fere erit. Qualitatem constituere est notas indicare, quibus cognoscatur, cuiusmodi quid sit. Qualitatem autem et rei vel personae et actionis constituere possumus. Qualis sit res vel persona plerumque nomine adiectivo exprimitur: vir est cupidus, vir est sapiens; ad qualitatem actionis significandam utimur plerumque adverbio modi: vir agit cupide, vir loquitur sapienter. Sed, quale quid sit, persaepe verbo enuntiati secundarii ita enuntiatur, ut exprimatur vis adiectivi vel adverbii modi ab eodem verbo ducti. Interroganti, qualis sit cibus, respondere licet: cibus est nocens; sed eadem notio adiectiva verbo nocere hunc in modum enuntiatur: cibus est talis, qui noceat. Cave putes nocentem esse idem prorsus valere, quod nocere, ita ut cibus est nocens idem sit, quod cibus nocet. Id qui statuunt, naturam coniunctivi non perspexerunt. Quamquam enim qui nocens est idem nocet, tamen inter has dictiones id est discriminis, quod verbo nocet exprimitur actio, qua cibus facit aliquid, cum dictio est nocens omnino non actionem sed qualitatem contineat. Itaque cum in adiectivo „nocens“ cogitata tantum notio verbi nocere insit, non actio, necesse est praedicatum habere coniunctivum. Ea est enim natura coniunctivi, ut eo praedicatum tantum cogitata notione verbi enuntietur. Quam coniunctivi naturam dilucide comprobat exemplum hoc: Forsitan dicat aliquis (vielleicht möchte Jemand sagen). Notionem dicere enim, quam alicui tribuo, praedicatum esse tantum cogito animo, non affirmo, id re vera fieri (cf. Meiring l. l. § 640). Videndum est igitur in enuntiatis relativis, utrum praedicato actio sensibus subiecta exprimatur, an notio verbi tantum sumpta sit ad qualitatem significandam, ita ut in ea insit notio adiectiva. Ad quod probandum nonnulla in medio ponamus exempla: Si Cicero dicit: Innocentia est affectio talis animi, quae *noceat* nemini (Tusc. 3. 8), apparet in enuntiato relativo quae noceat . . . inesse notionem rei nocentis vel noxiae. Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate *incitarent* (Cic. Brut. 92). Enuntiato relativo qui . . . incitarent quamquam res facta exprimitur, tamen scriptor eo non utitur, ut aliquid factum esse enuntiet, sed notionem incitare tantum sumit, ut indicet, quales fuerint oratores. Si vertimus „zwei solche Redner, die (dass sie) mich anregten“ notionem adiectivi anregungsvolle agnoscimus. Si scriptor pro coniunctivo possuisset indicativum incitabant, id quod nihil fere mutato sensu licebat, enun-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tiato relativo rem factam ita expressisset, ut ea directe ipsi oratores accuratius notarentur neque quales essent significaretur. Quod dilucidius cognoscemus, si solvemus enuntiatum hunc in modum: Duo tum excellebant oratores atque *ei* me imitandi cupidate *incitabant*. Coniunctivus qui . . . incitarent talem solutionem membrorum nullo modo patitur. Ad modum verbi igitur ponendum in enuntiatis relativis saepe plurimum refert, quomodo rem comprehendamus. Consentaneum est autem, coniunctivum semper ponendum esse, si antecedenti adiectivo enuntiatum relativum per coniunctionem adiectum est. Nam enuntiatum relativum adiectivo pari ratione adiunctum et ipsum non potest non notionem adiectivam continere. In enuntiato: L. Pinarius erat vir *acer et qui* non multum in fide Siculorum *reponeret* (Liv. 24. 37) verborum qui . . . reponeret facile agnoscimus notionem adiectivam hominum suspitiosorum.

Ad notionem qualitatis in enuntiatis relativis plane perspiciendam opus est recurrere ad participia praesentis verborum transitivorum et quando genetivum postulent accuratius perpendere. Plerique grammatici perverse docent, participia illa cum genetivo construi, si manentem (bleibende, dauernde) qualitatem significent: quasi sit distinguenda qualitas manens et temporaria. Atqui ubi enuntiat quis, qualis sit res vel persona, iam per se intelligitur, id, quod huic attribuitur, semper ei proprium esse. Gaio enim, ut exemplum afferam, qualitatem diligentis tribuere non licet, si tantum in tempus aliquod diligentia in eo apparuit. In praecepto illo potius omnis vis posita est in qualitate, cui opponitur actio, omniaque participia illa significationem adiectivi habent. Quod nisi esset, ut ea coniunctione copulativa cum adiectivis coniungerentur, fieri non posset, ut est apud Ciceronem (de imp. Pomp. 3) Romani semper *appetentes* gloriae praeter ceteras gentes *atque avidi laudis* fuerunt. Quae cum ita sint noli ad participia illa vertenda tempus finitum adhibere; nam tempore finitum actio, non qualitas exprimitur. Vertenda sunt potius nomine adiectivo aut substantivo (nam et substantivis utimur ad qualitatem significandam, ut: Gaius est *diligens* veritatis, Gajus ist *ein Freund* der Wahrheit); aut, si una apta vox ad notionem patricipii exprimendam non reperitur, adhibenda est, id quod in omnibus exemplis fieri potest, vertendi ratio: der Art dass, ita ut Gaius est diligens veritatis idem sit, quod Gaius est is (talis, eius modi), qui (ut) veritatem diligat. Patiens frigus est is, qui frigus patitur (aliquantisper vel semper); patiens frigoris is, cuius natura ad frigus patiendum accommodata est (abgehärtet gegen Kälte). Qua de re multa perturbate docentur in grammaticis. Sic dicit Schultzius in grammatica sua Latina § 276 in adnotatione: Als eigentliche Partizipien (Verben) zur Bezeichnung einer einzelnen (?) vorübergehenden (?) Handlung behalten sie indess den Ackusativ. Patiens frigoris ist, wer die Kälte leicht (?) erträgt, dagegen abgehärtet ist; patiens frigus, wer sie gegenwärtig (?) erträgt, wer friert." — Quod si Cornelius Nepos dicit, Epaminondam fuisse iniurias civium ferentem (Epam. 7. 1), non tam qualitatem ei tribuit, quam actionem enuntiat, neque substituere licet fuit is, qui ferret iniurias. Germanice igitur: er ertrug die Unbilden, non: er war gleichgültig gegen die Unbilden.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ut pro adiectivo ad qualitatem rei vel personae significandam Latini saepe utuntur enuntiatis relativis, ita pro adverbio modi ad significandum qualis sit actio adhibent saepe enuntiatum coniunctionale, praeposita coniunctione ut (ita-ut), quae a Meiringio rectissime coniunctio qualitatis nominata est.*) Omnia fere euismodi enuntiata rem factam illa quidem continent, ita ut Indicativus exspectandus sit; sed Latini ita ea accipiunt, ut non ipsa res facta enuntietur, sed praedicato solum cogitatione comprehenso significent, qualis sit actio, quae est in enuntiato primario. Actio laudandi, ut exemplo utar, qualis sit, adverbio modi timide vel praepositione cum coniuncta cum substantivo: cum timore, constituitur (de abl. modi cf. Meiring l. l. § 560). Hisce autem adverbiis qualitatem actionis significari manifestum est. Nam si pro verbo substituimus substantivum, efficitur laudatio timida. Eadem adverbii notio inest in formula ita — ut cum coniunctivo: Gaium laudo ita—ut=timeam. Qualitatis notio quo facilius percipiatur, quae sit propria significatio vocabuli ita quaeramus. Ut adiectiva pronominalia qualitatem, numerum, magnitudinem non notione sed demonstrando significant (talis — qualis etc.), ita adverbia pronominalia vim demonstrativam habent (cf. Meiring l. l. § 921 u. Anm.). Demonstrativo ita respondet 1) correlativum ut: ita — ut so (in der Art) wie 2) ut coniunctionale: ita — ut so (in der Art) dass — Si dico: Gaium ita laudo ut timeam, dictione ut timeam verbum laudare ita definio, ut adverbiali enuntiato ostendam, quo modo (in welcher Art) Gaium laudem, sive qualis sit laudatio. Est igitur laudo ita—ut timeam idem, quod erat laudo timide, laudo cum timore (cf. exempla a Meiringio l. c. § 669 collecta). Non alienum est spectare hoc loco Graecorum rationem construendi coniunctiones ὡς et ὥστε: quae ad notionem tantum cogitatam exprimendam infinitivum secum habent, ad rem factam significandam indicativum.

Quod de coniunctione ut, qua qualitas significatur, exposuimus, idem statuendum est de ut consecutivo (cf. Meiring l. l. § 667. 2). Nam etiam consecutionem locutione adverbiali exprimi posse, docet hoc exemplum: *Cum inrisione* audientium imitari militem gloriosum (Cic. off. 1. 38), zum Lachen der Zuhörer (cf. Meiring l. l. § 967, Anm. 4 et § 561 a). Pro cum inrisione si sententiam consecutivam substituimus, enuntiatum est hoc: imitari militem gloriosum ita ut inrideant audientes. Verba cum inrisione quamquam aeque atque ita ut inrideant consecutionem contineant (zum Lachen der Zuhörer, so dass die Zuhörer lachen), tamen utraque dictione proprie expletur notio verbi imitari, ita ut qualitas eius constituatur.

Eodem modo accipiendum est enuntiatum relativum, in quo vis caussalis inest. Nam ne eo quidem ipsa caussa significatur, sed appositionis loco qualitas rei vel personae ita adicitur, ut notio caussalis cogitetur. Quod si tenemus, non iam mirum videri potest, apud optimum quemque scriptorem non pauca legi exempla, in quibus pronomen qui cum indicativo positum est, quamquam caussalis notio in eo inest. Quid inter utramque structurae

---

*) cf. Meiringii commentatio: „Erörterungen zur Lateinischen Grammatik. Erstes Heft: Ueber quod und ut dass (Bonn bei Max Cohen & Sohn).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rationem (indicativum et coniunctivum) intersit, nonnullis exemplis demonstrare libet. Legitur apud Ciceronem (Phil. 4. 5): Virtus est una altissimis defixa radicibus, quae numquam ulla vi labefactari *potest*, numquam demoveri loco. Scriptor eo quod indicativo utitur, notam virtuti ita tribuit, ut res quae fit significetur; Germanice: sie, die nicht kann. Solvere igitur licet enuntiatum hunc in modum: Virtus est una altissimis defixa radicibus eaque numquam ulla vi labefactari potest. Longe alia est natura enuntiati huius: Caninius fuit mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non *viderit*. (Cic. div. 7. 30). Coniunctivo viderit scriptor rem factam non memorat i. e. non dicit: Caninius somnum non vidit, neque Caninio nota ipsius tribuitur, sed nota generis, quo Caninius comprehenditur, atque cum ipsa generis notio omittatur, indirecte quodammodo ipsi Caninio tribuitur. Ea autem generis notio est homo, vir. Itaque recte Meiringius (l. l. § 715 Anm. 1) explicat: (als) ein solcher, der, (als) ein Mann, der. Scriptori sensu nihil mutato indicativo uti licebat: Caninius fuit . . . qui . . . non *vidit*. Quod autem ad grammaticam attinet rationem enuntiatum hoc longe aliter accipiendum est; Germanice: er, der nicht gesehen hat, non einer (= ein Mann), der nicht gesehen hat. Quod ne subtilius atque argutius dictum esse putes, reputes velim, quidnam intersit inter coniunctionem temporalem cum positam aut cum indicativo aut cum coniunctivo. Indicativo enim utuntur Latini, si re facta tempus directe significatur, quo actio facta est, ita ut pro toto enuntiato secundario certum tempus vel annus vel mensis facile substituatur. Quaerenti, quando (quo tempore, quo anno) ortum sit primum illud bellum Mithridaticum, respondere licet: (tum) cum bellum civile inter Marium et Sullam exarserat i. e. (eo) tempore, anno, quo bellum etc. Enuntiato igitur cum . . . exarserat significatur annus LXXXVII a. Chr. n; die Germanice: zu der Zeit (in dem Jahre), als etc. Quaerenti autem, quali (quo) tempore primum illud bellum Mithridaticum ortum sit, apte respondetur: (tum) cum bellum civile inter Marium et Sullam exarsisset i. e. tempore misero, iniquo; Germanice: zu einer Zeit als etc.

Ad id, quod supra de caussali significatione pronominis relativi disseruimus, firmandum respicienda est consuetudo sermonis Graeci. Graeci enim si ad caussam significandam pronomine relativo utuntur, ubi Latini coniunctivum ponunt, adhibent formam ὅστις (non ὅς). Recte Papius (Griechisch-Deutsches Handwörterbuch s. v. ὅστις) dicit: „b) ein Grund, wie quippe qui.“ cf. Soph. Oed. R. 1184: ὦ φῶς τελευταῖόν σε προσβλέψαιμι νῦν, ὅστις πέφασμαι φύς τ' ἀφ' ὧν οὐχρῆν. Vertit idem rectissime: „als ein solcher, welcher ich erzeugt bin, von dem ich nicht sollte erzeugt werden.“ O lux, ultimum te nunc videam, (quippe) *qui* aperte *natus sim*, quibus non debebam. cf. Oed. Col. 270: πῶς ἐγὼ κακὸς φύσιν, ὅστις παθὼν μὲν ἀντέδρων; quomodo malus ingenio sum, *qui* iniuriam antea passus *fecerim* vicissim.

Restat ad rem omni ex parte illustrandam, ut de ipsa significatione caussali nonnulla addam. Ex allatis a grammaticis exemplis videre licet, caussam non ad rem ipsam enuntiato primario allatam pertinere, sed caussam afferri, cur is, qui loquitur praedicatum subiecto tribuat, i. e. cur iudicet id de subiecto, quod praedicato exprimitur. In enuntiato: Caninius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuit mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit, illud, quod somnum non vidit, nullo modo caussa potest esse, cur fuerit Caninius mirifica vigilantia. Nam si enuntiatum relativum contineret, cur Caninius fuisset vigilans, haec fere absurda efficeretur sententia: Caninius vigilans fuit, quod vigilans fuit. Caussas si quaerimus vigilantiae, longe alias afferre in promptu est, ut: quod curis nimis vexabatur, vel quod timebat, ne fures thesauros sibi auferrent. At enim non vult Cicero caussam vigilantiae afferre, sed caussam, cur ipse ei mirificam vigilantiam tribuat (cur hoc de Caninio praedicatum ponat, cur ita de eo iudicet.) In enuntiato: Tarquinio quid impudentius, qui bellum gereret cum eis, qui eius non tulerant superbiam? (Cic. Tusc. 3. 12) verbis qui gereret non affert scriptor caussam, cur Tarquinius fuerit impudens, sed cur ipse ei impudentiam tribuat, cur iudicet eum impudentem fuisse; nam eo ipso, quod Tarquinius bellum cum eis gessit, qui superbiam eius non tulerant, cernitur impudentia. Eodem modo duo alia a Meiringio allata exempla interpretanda sunt: O fortunate adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris! (Cic. Arch. 10) i. e. te fortunatum iudico, quod . . . invenisti. O magna vis veritatis, quae contra hominum calliditatem facile se per se ipsa defendat! (Cic. Cael. 26), i. e. veritatis magnam vim esse iudico, quod . . . se defendit.

Aptissimam ad id, quod de coniunctivo caussali diximus, comparationem offerunt, sensu quidem suo, ablativi illi mea sententia, meo iudicio, similes, qui item caussam continent non rei ipsius, sed enuntiati praedicati, ut Meiringius (l. l. § 542 Anm. 2) docet: „Die Ablative mea sententia (nach meiner Meinung), meo iudicio, alicuius iudicio oder testimonio drücken oft nicht den Grund der Handlung aus, sondern den Grund, warum man dem Subjekte das Prädikat beilegt. Der Ausdruck dient zur Beschränkung eines Urtheils. Ad enuntiatum: Curio mea sententia vel eloquentissimus fuit (Cic. or. 2. 23) recte adnotat: meine Meinung ist der Grund, warum ich ihm das Prädikat beilege nicht warum er beredt war). Plerique grammatici ablativos illos limitationis esse volunt. At vis huius ablativi longe est diversa. Id enim, quod praedicato generatim atque universe de subiecto enuntiatur, addito ablativo limitationis ad eam ipsam in ablativo positam rem, quae aut pars subiecti est aut cum eo nexu aliquo cohaeret, refertur. In enuntiato: Agesilaus fuit claudus *altero pede* (Nep. Ages. 8), praedicatum claudus fuit generatim enuntiatur de Agesilao toto, simul autem ita limitatur, ut addito ablativo altero pede ad partem Agesilai eam, ad quam praedicatum peculiariter pertinet, referatur. Quare ratio enuntiati ita immutari potest, ut praedicatum ad partem ipsam referatur: pes alter Agesilai claudus fuit. Itaque, quomodo haec loquendi ratio cum illa, quae est in mea sententia, meo iudicio, commisceri potuerit, me quidem fateor intellegere non posse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III.

De coniunctione quin.

Et veteres et recentiores grammatici in explicanda natura coniunctionis quin valde desudaverunt. Iam P. Nigidium Figulum in ea perquirenda magna cum cura et diligentia versatum esse, Gellio auctore (N. A. XVII, 3) constat. Recentiore aetate Haasius ad Reisigium. „Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft“ not. 492 multis verbis quid de ea particula sentiat, exposuit. Sed vir ingeniosus magis copiose et argute quam vere et recte rem tractavit. Explicationem particulae et ad intellectum luculentissimam et ad usum uberrimam exhibet Meiringii grammatica (§ 674 sq.). Quam viam novam ingressus quae ego observavi ad rem illustrandam accommodata e schedis meis in medium affero. Quin ortum esse ex ablativo qui (wie, in welcher Art) et particula negante ne hodie ita constat, ut mirandum sit, ne nunc quidem plane exstirpatam esse absurdam illam opinionem, quam adhuc secutus est Gernhardus (opusc. p. 19), prius voculae membrum esse nominativum pronominis qui (quae, quod). Habet autem quin sensu suo negativo contrariam vim atque ut. Quemadmodum enim ut 1) cum significatione adverbiali est = (in der Art) wie, 2) cum significatione coniunctionali = (in der Art) dass, ita quin cum significatione coniunctionali est = (in der Art) dass nicht. Nam adverbialis eius significatio wie nicht, in welcher Art nicht, in hac quidem quaestione ad comparationem adhiberi nequit, cum interrogativa tantum sit aut ex sensu interrogativo orta: quin conscendimus equos? wie nicht? warum nicht. Quin experiamur! wohlan (proprie warum nicht?) Sed redeamus ad quin coniunctionale: (in der Art) dass nicht. Qua coniunctione quae adnectuntur enuntiata semper eam habent rationem ut negatio, quae in quin inest, ad negationem antecedentem ita referatur, ut ambae negationes unam affirmationem conficiant. Sed id antequam persequamur, quaerendum est, qualis et in superiore et in hoc genere natura coniunctivi sit.

Si quis scit, Gaium vendere aedes, praedicatum ei tribuit indicativo: Gaius vendit aedes. Si quis vult Gaium hoc facere, praedicatum ei tribuit coniunctivo: Gaius vendat aedes. Si non scit ille quidem, vendere aedes Gaium, sed tamen aliquam ob caussam vult ei tribuere hoc praedicatum (i. e. notionem vendendi ad eum adhibere), voluntate sua sumit praedicatum (nimmt es an) eamque sumptionem enuntiat item coniunctivo, Germanice vocula auxiliari soll vel sollte (coniunctivum sumptivum appellare licebit). Ita verba: vendat aedes Gaius, „Gajus soll (einmal) ein Haus verkaufen“, hunc sensum habent: volo ei tribuere hoc praedicatum, sumo hoc praedicatum. Artissime autem cum nostra quaestione cohaeret is usus coniunctivi, quo in interrogatione sumitur praedicatum eo sensu, ut id ne in cogitationem quidem cadere posse (undenkbar sei) significetur et ita contrarium affirmetur (Germanice semper sollte, nunquam soll) cf. Meiringius l. c. § 665. Commoremur in uno exemplo, quod est apud Terentium (Hec. 4. 2. 13), ubi Pamphilus Sosis-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tratae, quae se rus abituram indicaverat, respondet: tu rus habitatum migres? Du solltest etc.? Scilicet praedicatum sumptivo utitur ad significandum, se tale quid ne cogitatione quidem comprehendere posse: in quo est contrarii affirmatio; quare statim sequitur: Haud facies.

Ex hoc igitur genere is est coniunctivus, quem quin secum habet, modo huius enuntiati rationi ita accommodatus, ut affirmatio, quam supra efficiebat interrogandi forma, nunc efficiatur duabus negationibus. Illustremus id exemplo ficto. Affirmatio indicativo enuntiatur: Gaius semper, cum ad me scribit, *salutat* omnes meos Eandem affirmationem, non verbis, at sensu, continent haec enuntiata cum sumptione praedicati contrarii sive negativi: 1) Umquam Gaius, cum ad me scribit, *non salutet* omnes meos? sollte jemals . . . nicht grüssen? 2) Gaius numquam ad me scribit, *quin salutet* omnes meos, schreibt niemals (in der Art) dass er nicht . . . grüssen sollte. Postremum exemplum rursus ita immutari potest: Gaius numquam ad me scribit *non salutans* meos; aut ita: Gaius numquam ad me scribit *sine salutatione meorum*. Eodem modo omnia exempla, in quibus quin cum coniunctivo inest, quamvis inter se diversa sint, explicari debent: ut coniunctivum habeant sumptivum et sensum contineant affirmandi aliquid. Ut hoc enuntiatum: Non dubito, quin ante Homerum fuerint poetae ich zweifle nicht (in der Art) dass nicht vor Homer Dichter gewesen sein sollten; inest haec affirmatio: sine dubio ante Homerum poetae *fuerunt*. Difficultas offertur, Germanice quidem verba vertenti, in eis exemplis, in quibus ad quin accedit negatio non. Monendi sunt discipuli, ut quaerant loquendi genus, quo haec altera negatio vitetur. Non dubito, *quin* offensionem neglegentiae vitare atque effugere *non* possim (Cic. Verr. 1. 40); non posse — ausser Stande sein: ich zweifle nicht, dass ich nicht ausser Stande sein sollte i. e. ohne Zweifel bin ich ausser Stande. Teneri potest altera negatio in hoc: Dubitandum non est, quin numquam possit utilitas cum honestate contendere (Cic off. 3. 3): es ist nicht zu zweifeln (in der Art) dass nicht sollte niemals . . . streiten können. Negatio non coniuncta cum quin efficit affirmationem: ohne Zweifel kann der Nutzen niemals mit der Ehrbarkeit streiten. Apparet igitur, quam arte negatio, quae in coniunctione quin inest, cum antegressa negatione coniungenda sit. Quare discipuli a principio monendi sunt, ut post tam coniunctum cum adiectivo vel adverbio in antegressa sententia negativa non quin ponant, sed ut non. Valde enim vereor, ne tirones ea re perturbentur et, quae sit vis ac natura propria coniunctionis quin, parum perspiciant. Nam in verbis: nichts ist so schwierig, dass es nicht durch Forschen ergründet werden könnte, verba, dass es nicht . . . ad verba so schwierig referimus et statuimus, inter se cohaerere so — dass. Hunc autem nexum qui statuit, cum necesse est Latine dicere: nihil tam difficile est, *ut* quaerendo investigari *non* possit. Quamquam etiam quin sequi potest enuntiati ratione mutata: Nil tám difficile 'st, quín quaerendo investigari póssit (Ter. Heaut. 4. 2. 8). Ubi structura enuntiati ita mutatur licentia quadam, ut animo obversetur hic nexus: nihil est — quin, es gibt nichts (in der Art) dass es nicht sollte ausge-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

forscht werden können = Alles, so schwierig es ist, kann ausgeforscht werden (omnia, quamvis difficilia sint, investigari possunt).

Ex eis, quae secundum Meiringii sententias et praecepta gramnatica disputavimus, satis, opinor, apparet, omnia enuntiata per quin cum coniuntivo iuncta sensu suo affirmationem continere et formam quoque affirmandi restitui posse ita, ut coniunctivus convertatur in indicativum atque membrum enuntiati primum vim adverbialem accipiat (non dubito, quin ante Homerum poetae fuerint = sine dubio . . . poetae fuerunt). Apponere libet exemplum ad id demonstrandum imprimis accomodatum. Quo quidem animo *cum* antea fuit, *tum* non dubito, quin tuis litteris . . . se magis etiam erexerit ab omnique sollicidutine abstraxerit (Cic. Deiot. 14. 38); Quo animo = hoc animo, quod substituere libet. Duo sunt enuntiati membra, quae per coniunctiones copulativas cum — tum (sowohl — als auch, wie — so besonders) parem acceperunt rationem (parallel gestellt sind). Potest autem enuntiatum in hanc breviorem formam contrahi: hoc animo cum antea fuit (Deiotarus), tum tuis litteris se magis etiam (postea) erexit, wie er von dieser Gesinnung früher war, so richtete er sich durch deinen Brief noch mehr auf. Atqui apud Ciceronem est: hoc animo cum antea fuit, tum non dubito, quin . . . Quae, ut quidem verba sunt, inepta est iunctura et Cicerone indigna. At scriptor in animo habebat id, quod inesse in his enuntiatis ostendimus: hoc animo cum antea fuit, tum sine dubio tuis litteris se magis etiam erexit.

Vim coniunctionis si ita accipimus, cum alia verba negativa (cf. Meiring l. l. § 679) tum verba non impedire, non prohibere (§ 682), quamquam proprie finalem vim habent, cum coniunctione quin construi licere, non est quod miremur. Nam si ponimus: Hostes non impediti sunt, quin urbem caperent, nemo non videt, in verbis quin caperent inesse hanc affirmationem: hostes sine impedimento ceperunt urbem. — Non alienum esse videtur hoc loco admonere, omnino Latinos non raro notiones adverbiales, verbo finito reddere, ut: bekannter Weise constat; zufälliger, glücklicher Weise accidit, contingit; wahrscheinlicher Weise, vielleicht, wohl, hoffentlich verisimile est, nescio an, videri, arbitrari, sperare; schwerlich non verendum est ne; sicherlich, bestimmt certum est, certum habeo; billiger Weise aequum est; zu meinem Schmerze doleo; zu meiner Freude gaudeo etc. (cf Seyffert: Palaestra Ciceroniana pag. 83. § 4).

IV.

De coniunctivo in enuntiatis secundariis.

Vix in ulla syntaxis Latinae parte viri docti, qui in explorandis linguae legibus occupati fuerunt, magis laboraverunt et haesitarunt, quam in ea parte, quae spectat ad usum modorum in enuntiatis secundariis aut cum infinitivo aut cum coniunctivo cohaerentibus. Atque in omni-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus fere, quos ego in hac re consului, libris tantam inveni explicandi et praecipiendi confusionem, ut plus perturbationis quam lucis legentibus afferant et vero scholis magis impedimento sint quam auxilio. Malum in eo maxime positum est, quod diversam, quae est in his enuntiatis secundariis, naturam non distinguunt et in explicando omnia, vel alienissima, ad genus orationis indirectae revocant vel potius torquent, ut torqueatur etiam legentis mens sana et in nebulis versari consuescat. Primus atque, quantum scio, solus rem expedivit Meiringius. Qui acuto et perspicuo iudicio l. c § 632—633 totam quaestionem praeparat hoc fundamento, ut omnia enuntiata secundaria cum indicativo dividat in duo genera: eorum, quae indicativo suo aliquid affirmant (ita ut etiam pro enuntiato primario usurpari possint), et eorum, quae indicativo suo nihil affirmant, sed nihil sunt nisi complementum enuntiati primarii. Ad quod genus alterum pertinent imprimis ea enuntiata primaria, quae condicionem continent, sive ea formam habent condicionalem (si, nisi) sive formam relativam (qui, quae, quod). Enuntiato enim hoc: *si* mentitur Gaius, improbus est, priori membro non affirmatur, Gaium mentiri. Item generali enuntiato: *qui* mentitur, improbus est, non affirmatur, aliquem mentiri (qui enim = si quis). At vero in enuntiato: Gaius, *qui* mentitur, improbus est, membrum relativum affirmat aliquid; potest enim substitui: Gaius — is enim mentitur — improbus est. Addo ad hanc ingentis momenti enuntiatorum diversitatem plura exempla: Gaius, *qui* in proelio interfectus erat, Athenis in contione laudatus est. Enuntiato relativo affirmatur res facta: Gaium in proelio interfectum esse. Facile enuntiatum ita vertitur, ut electo pronomine relativo haec sententia absoluta efficiatur: Gaius in proelio interfectus erat; *is* in contione Athenis *laudatus est*. Frustra enitemur, ut pariter solvamus enuntiatum hoc: *Qui* in proelio interfectus erat, Athenis in contione laudabatur: enuntiato enim relativo minime affirmatur, aliquem interfectum esse, sed redeunt verba ad hunc sensum: si quis interfectus erat, . . . laudabatur. Sic etiam relativorum adverbiorum et coniunctionum usus duplicem in modum accipiendus est. In enuntiato: *Ubi* cadaver iacet, eo ad volant aquilae, verbis ubi iacet non affirmatur aliquo loco iacere cadaver, sed inest sententia condicionalis: si ubi cadaver iacet. Maxime differt ab eo enuntiatum hoc: Hostes corpus interfecti Gaii abiecerunt; *ubi* autem iacebat corpus, eo advolaverunt aquilae. In verbis enim „ubi iacebat corpus“ inest significatio rei factae, i. e. affirmatur hoc, alicubi corpus iacuisse. Facile convertitur enuntiatum ita: Corpus interfecti Gaii alicubi *iacebat*; eo advolaverunt aquilae. Enuntiatum denique hoc: Vir bonus, *cum* cives inopia premi vidit (wenn er gesehen hat), libenter eis subvenit, comparari velim cum hoc: Sp. Maelius subvenit civibus tum *cum* eos inopia premi vidit. In priori exemplo cum vidit est = si quando vidit, neque quicquam affirmationis inest, virum bonum aliquando id vidisse. In altero exemplo in eisdem verbis cum vidit inest affirmatio: aliquando vidit.

Sed redeamus ad quaestionem principio huius capitis inchoatam: de usu modorum in enuntiatis aut cum infinitivo aut cum coniunctivo cohaerentibus. Illa autem Meiringii prae-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ceptio de horum enuntiatorum duobus generibus (§ 632–633), fructuosa multas in partes, mirum quantum ad hos modos et recte percipiendos et recte adhibendos proficit. Docet enim Meiringius (§ 716), omnia enuntiata secundi generis (§ 633), i. e. omnia enuntiata condicionalia aut condicionem continentia relativa, si sint complementum infinitivi aut coniunctivi, habere coniunctivum. Qua lege quid brevius, quid simplicius, quid clarius esse potest? Quam qui sequetur, facillimum ad recte iudicandum et recte scribendum aditum habebit. Discipulis autem si impertire hoc lucrum volemus, id potissimum curabimus, primum ut fundamentum illud, quod continetur in §§ 632–633, multis exercitationibus firmiter positum habeant, deinde ut in modis ad § 716 diiudicandis ac conformandis fundamentum illud semper habeant in promptu. Iam ad illustrandam regulam illam de coniunctivo in enuntiatis secundariis exempla quaedam afferamus ita, ut etiam aliorum grammaticorum in eis interpretandis rationem respiciamus. Mos est Athenis, laudari in contione eos, *qui sint* in proeliis *interfecti* (Cic. or. 44). Sententia absolute posita haec est: Athenis laudantur in contione ei, qui sunt in proeliis interfecti, i. e. si qui sunt interfecti. Non affirmatur enim, quosdam interfectos esse. Atqui accommodatur enuntiatum ad infinitivum laudari: ergo requiritur coniunctivus.

Haec diiudicandi simplicitas est apud Meiringium. Confer Madvigii explicationem eiusdem exempli in grammatica latina (§ 369): videbis, in magnis verborum ambagibus quam nihil certi ac definiti sit ad explicandum, quam magna obscuritas et rerum diversissimarum confusio. Dicit enim: Wie in relativen Sätzen (§ 368) steht der Conjunctis auch in andern Nebensätzen, welche als Theile des im Hauptsatze erwähnten Gedankens ausgesagt werden, z. B. in Bedingungssätzen. Deshalb steht der Conjunctiv in allen (relativen oder durch Conjunctionen angeknüpften) Nebensätzen, welche hingefügt werden, um eine durch einen Infinitiv ausgedrückte Vorstellung oder einem im Conjunctiv oder Accusativ mit dem Infinitiv stehenden Satz zu ergänzen und deren Inhalt von dem Redenden nicht einfach als wirklich, sondern nur als Bestandtheil der im Infinitiv oder Conjunctiv angeführten Vorstellung ausgesagt wird (oratio obliqua, indirecte Rede).“

Non plus lucis attulit Ferd. Schultzius in grammatica sua Latina. Qui postquam coniunctivum propter orationem obliquam positum aperte distinxit (§ 368), tamen coniunctivum, de quo agimus, § 369 cum illo genere commiscet, non tam praecepto suo*) quam exemplis ad illustrandum praeceptum appositis. Sunt enim in exemplis haec: 1) Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes (Cic. or. 1. 14). 2) Hor-

*) „Alle untergeordneten (relativen und konjunktionalen) Nebensätze werden durch den Konjunktiv ausgedrückt, wenn sie als wesentliche Ergänzungen in den Bereich eines durch den Infinitiv oder Konjunktiv ausgedrückten Gedankens gehören.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tensius tanta memoria erat, (quantam in nullo cognovisse me arbitror), ut quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset (Cic. Brut. 88). Prius exemplum orationem habet obliquam; vultne Schultzius, etiam alterum exemplum ita accipi? si non, quomodo vult accipi? scilicet praecepto praemisso nihil certi et aperti habet, ad quod mentem dirigat discipulus. Atque auget perturbationem subiecta exemplis adnotatio haec (§ 369. Anm. 1): „Da der Relativsatz in diesen Fällen immer als Theil des Gedankens, der Vorstellung oder Absicht eines Andern betrachtet werden kann, so vereinigt sich hierdurch diese Regel sehr nahe mit der vorhergehenden" (§ 368). At omnia in luce sunt apud Meiringium, qui prius exemplum eo rettulit, quo pertinet, ad orationem obliquam (§ 719), alterum exemplum ad id genus, quod ante oculos habemus (§ 716), ubi in promptu est, in enuntiato interiecto: quae secum commentatus esset relativum quae esse idem quod si quae et eam ob caussam coniunctivum habere, quod cohaereat cum coniunctivo redderet (ut — redderet). Eadem apud Schultzium commixtio in aliis exemplis inest.

Magis etiam perturbate et magis cum ambagibus rem tractavit is, quem Schultzius secutus est, Zumptius in grammatica sua Latina. Is enim §§ 545 — 549 coniunctivum in omnibus enuntiatis secundariis eis, de quibus disputavimus, ita explicat, ut verba ex mente alterius dicta statuat, i. e. verba ad orationem obliquam pertinentia faciat. In quo vir doctus vehementer errat legentesque in magnum errorem et perturbationem inducit. Sexcenta enim apud quemlibet scriptorem occurrunt enuntiata cum coniunctivo, in quibus ne lucerna quidem adhibita invenias, ex cuius animo verba dicta esse statui possit. Sed commorari aliquantisper in illustranda hoc parte libet eam potissimum ob caussam, ut uno saltem ex multis argumento ostendam, cur mirari non desinam, quod grammatica Zumptiana per tantum temporis spatium regnare in scholis potuerit. Idque brevitatis caussa ita instituam, ut, si quid cadat sub rationem Meiringianam, simpliciter citem eius paragraphum 716.

Docet Zumptius § 545, enuntiata relativa et coniunctionalia primario enuntiato interiecta coniunctivum habere, si enuntientur ex mente vel oratione alterius.*) Tria autem huiusmodi genera per litteras distenta regulae subiungit:

a) Loquitur de enuntiatis accusativo cum infinito interiectis, sed haesitans ipse in adhibenda regula praemissa ingerit aliena. Dicit enim: „Zur grösseren Deutlichkeit sollen die Fälle, wie solche Zwischensätze vorkommen, abgesondert werden: a) Zwischensätze in der Construction des Accusativi cum Infinitivo stehen im Conjunctiv, wenn der Zwischensatz als Gedanke oder Rede dessen, von dem gesprochen wird, aufgeführt wird, oder wenn er überhaupt so zu dem Acc. c. Inf. gehört, dass in ihm eine nothwendige Bestimmung jenes enthalten ist (!). Qui fieri autem potest, quod vult Zumptius, ut enuntiatum interiectum, quod ita expleat accusativum cum infinitivo, ut necessarium eius complementum

*) „Der Conjunktiv steht in eingeschalteten Sätzen nach Relativis und nach Conjunctionen, wenn der Satz als der Gedanke oder als die Rede eines Andern ausgesprochen wird."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

contineat, ex sensu alterius dictum accipiatur? Si non potest, cur ei praeceptioni hic locus datus est? Scilicet non habebat locum apud Zumptium, luculentum habet locum apud Meiringium § 716. Idem dicendum est de eo, quod adnotatione addita praecipitur, adhiberi coniunctivum praecipue in sententiis generalibus. Dicit enimi: „Daher findet der Conjunctiv ganz besonders seine Stelle in allgemeinen Sentenzen, wo eine Gattung von Gegenständen vorkommt, welche immer nur gedacht werden kann, während der einzelne Gegenstand wirklich existirt." Possit quidem exemplum a Zumptio appositum: haud scio an satis sit, *eum, qui lacessierit,* iniuriae suae poenitere torqueri ad orationem obliquam; at quem locum habet eadem sententia generalis sic enuntiata: satis est, eum, *qui lacessierit*, iniuriae suae poenitere, aut haec: Difficile est, in philosophia pauca esse ei nota, *cui* non *sint* aut pleraque aut omnia (Cic. Tusc. 2. 1).

b) Docet Zumptius § 547 (scilicet secundum regulam suam primariam!) alia et varia, quae in hoc uno conveniunt, ut sint confusa, cum dicat: „Zwischensätze in einem andern mit dem Conjunctiv ausgesprochenen Satze werden im Conjunktiv gesetzt, wenn der Zwischensatz als mit zur Absicht, zur Bitte, Vorschrift oder Befehl eines Andern, oder zur gedachten Voraussetzung (bei si) gehörig, bezeichnet werden soll." Etenim in illo Ciceronis: Eo simus animo ut nihil in malis ducamus, *quod sit* vel a deo immortali, vel a natura *constitutum* (Tusc. 1 fin.), verba quod sit constitutum num ex mente alterius sunt? num pertinent ad sensum imperandi, qui est in verbis eo simus animo? Atque si pro hoc fundamento Zumptiano substituemus hoc: Eo animo sumus, ut . . . , nonne eandem enuntiatum secundarium formam habebit? Scilicet referendum est exemplum ad Meiringii § 716, ubi etiam alterum exemplum a Zumptio additum: Memoria erat tanta (Hortensius), quantam in nullo cognovisse me arbitror, ut, *quae* secum commentatus *esset*, ea sine scripto verbis eisdem redderet, *quibus cogitavisset* (Cic. Brut. 88) lucem suam accipere supra demonstravimus. Nebulae, quibus mens obruitur, cumulantur subiecta adnotatione, *) ubi, post confusam distinctionem coniunctivi demonstrativis ita, tam, talis additi docet, enuntiata secundaria his enuntiatis interiecta habere indicativum, idemque fieri etiam alias in circumlocutionibus. Addit exemplum hoc: Asia vero tam opima est et fertilis, ut — multitudine earum rerum, quae *exportantur*, facile omnibus terris antecellat. (Cic. Man. 6). Quasi vero hic *indicativus* (cuius usus angustis finibus suis terminatus est a Meiringio § 717) quicquam commune habeat cum natura enuntiati primarii. Recurrendum est nunc quoque ad Meiringii § 716, ubi sunt haec exempla: Ea natura rerum est, *ut, qui* sensum verae gloriae *ceperit*, nihil cum hac gloria comparantum putet (Cic. Phil. 5, 18). Tempus est huiusmodi, *ut, ubi* quisque *sit*, ibi esse

*) „Hierbei muss man aber bemerken, dass nicht alle Conjunctiv-Sätze eine Absicht oder einen Zweck ausdrücken, sondern dass ein Theil derselben bei vorhergehendem ita, tam, talis u. s. f. bloss die Beschaffenheit ausdrückt, wo dann die Zwischensätze im Indicativ stehen."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

minime velit (Cic. div. 64). Coniunctivi ceperit et sit postulantur, quod in utroque exemplo in relativo vis condicionalis inest (qui = si quis; ubi = sicubi) et enuntiata relativa pendent ex coniunctivo: putet, velit.

Haec hactenus de ratione Zumptiana. Alios ad comparationem adhibere grammaticos nihil attinet. Omnes affe unt id in enuntiatis secundariis coniunctivi genus, quo indicatur oratio obliqua vel sententia ex alterius mente enuntiata; id autem multo gravioris momenti genus, de quo disputavimus, cum perspectum non habeant, ita tractant, ut, ubi haereant, opem quaerant ex oratione obliqua, quamvis eam mens sana respuat. Nascitur ex eo duplex malum: primum ut discipuli numquam certi quid habeant in interpretando aut scribendo, quod sequantur; alterum idque gravius, ut mens vagari in tenebris et confundere in cogitando res diversissimas consuescat. Sustulit malum Meiringius, qui duabus regulis brevissimis et clare distinctis et ad usum admodum accommodatis rem totam expedivit. Prima est regula de enuntiatis condicionalibus aut relativis eis, in quibus pronomen vel adverbium relativum idem valet quod si cum indefinito (qui si quis, ubi = sicubi etc.) Illustrata est regula magna multitudine exemplorum, quae ita sunt delecta, ut orationem obliquam plane excludant (§ 716—718). Altera est regula de enuntiatis eis, quae proferuntur ex mente subiecti (per orationem obliquam): § 719—723.

Quae supra disputavi iam absoluta erant et conclusa, cum vidi, terminati temporis et paginarum spatii angustias non tantas esse, ut non aliquod additamentum, quod cohaerere cum consilio huius scriptionis videretur, posset accedere. Itaque hoc addendum putavi: praeclaram illam distintionem indicativi eius, quo affirmatur aliquid, et eius, in quo nihil affirmationis continetur (cf. Meiring l. c. § 632—633), etiam ad enuntiatorum temporalium usum atque intellectum certissimam ducem esse. Postquam enim similesque coniuntiones (cf. Meiring l. c. § 608) quando perfectum indicativi secum habent? scilicet tum cum affirmatur (sive narratur) res facta aliqua ad significandum id temporis punctum, ad quod se applicat actio primaria. Is autem enuntiati sensus facile reperietur etiam a mediocris ingenii discipulo, dummodo adsueverit membra iniunctae orationis solvere et ex membro secundario facere enuntiatum absolutum. Utamur exemplis. Caesar *postquam* omnes Belgarum copias in unum locum coactas ad se venire *vidit* flumen Axonam exercitum traducere maturavit (Caes. b. g. 2.5). Solutum enuntiatum hoc est: Caesar omnes Belgarum copias . . . vidit, subinde . . . maturavit, i. e. statim post id temporis punctum, quo vidit, maturavit. In qua membrorum dissolutione coniunctio postquam compensata est adverbio subinde. *Ubi* de Caesaris adventu Helvetii certiores *facti sunt*, legatos ad eum mittunt (Caes b. g. 1. 7). Redit exemplum ad hanc formam solutam: Helvetii de Caesaris adventu certiores facti sunt; subinde legatos ad eum mittunt, i. e. statim post id temporis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

punctum, quo certiores facti sunt. Pelopidas non dubitavit, *simulac conspexit* hostem, confligere (Nep. Pelop. 5). Forma soluta: Pelopidas conspexit hostem; subinde non dubitavit confligere.

Eadem ratio est eorum enuntiatorum, quae praefixas habent coniunctiones antequam vel priusquam. Nam in his quoque id punctum temporis, cui actio primaria antecessit, significatur perfecto indicativi, quippe quo affirmetur (narretur) aliqua res facta, ad illud temporis punctum constituendum (cf. Meiring l. c. § 692). Sed tamen id discriminis est inter haec enuntiata, quod etiam coniuntivus (imperfecti vel plusquamperfecti) locum habet, non modo cum nulla subest res facta, verum etiam tum, cum res facta subest illa quidem, sed a loquente non ut facta affirmatur (sive narratur). Si quis dissolute dicit: Galli Clusium *oppugnarunt* urbemque Romam *ceperunt;* ducentis annis ante in Italiam descenderunt, non minus illam quam hanc rem factam narrat i. e. affirmat. Idem facit hac iuncta oratione: Ducentis annis ante, quam Clusium *oppugnarunt* urbemque Romam *ceperunt*, in Italiam Galli descenderunt. At Livius (5. 33) adhibito coniunctivo ita loquitur: Ducentis annis ante, quam Clusium *oppugnarent* urbemque Romam *caperent,* in Italiam Galli descenderunt. Scilicet rem significat scriptor non affirmando (narrando), quod poterat, sed tantum cogitata notione verbi. Respondet enim coniunctivus nostro infinitivo vel nomini abstracto: ante quam oppugnarent = vor dem Bestürmen, vor der Bestürmung, ante oppugnationem. Confer luculentam similitudinem Graeci *πρίν*, quod pro Latino indicativo item indicativum, pro Latino coniunctivo infinitivum secum habet: *ἡγόμην δ'ανὴρ ἀστῶν μέγιστος τῶν ἐκεῖ, πρίν μοι τύχη τοιάδ' ἐπέστη* (Soph. Oed. R. 775): habebar inter cives vir maximus, antequam casus talis mihi *accidit*. *πρὶν γάρ δὴ καταλῦσαι τὸ στράτευμα πρὸς ἄριστον, βασιλεὺς ἐφάνη* (Xenoph. Anab. 1. 10. 19): *priusquam* exercitus *dimitteretur* ad prandium, vor Entlassung des Heeres zum Frühstück.

Eadem ratione, qua antequam et priusquam etiam cum temporale aut indicativum aut coniunctivum habet (cf. Meiring l. l. § 693). Perfecto indicativi enim id punctum temporis constituitur, in quod actio primaria incidit. Coniunctivus (imperfecti vel pluspuamperfecti) praedicato cogitatione tantum concepto ostendit, in quo tempore (unter was für Umständen) actio enuntiati primarii facta sit. 1) Dissolute ita luquimur: Romulus urbem *condidit*; *tum* (in dem Zeitpunkte) lituo regiones direxit. Id coalescit in hanc formam iniunctam: Lituo Romulus regiones direxit *tum, cum* urbem *condidit* (Cic. div. 1. 17). 2) Antigonus in proelio, *cum* adversus Seleucum Lysimachumque *dimicaret*, occisus est (Nep. reg. 3), als er = unter den Umständen wo er etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf